



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Velvti Totidem Ramos
Distributa

Illsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCLXV. De Pænitentia Magdalenæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

Domini à vobis. Jerem. 4. v. 8. Sed nec placuit experiri exultationem animi in Domino, quâ fruuntur justi ac perfecti: nec dulcedinem, ac suavitatem, planctus, per Opera Mortificationis & Pœnitentiæ.

PUNCT. III. Laudi S. Joannis addit Christus, & ostendit, etiam homines Sanctos non posse evitare sinistra de se judicia, ac sermones: *Venit enim Joannes neque manducans, neque bibens, & dicunt: Demonium habet. Venit Filius Hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Matth. v. 18. Non cures ergo & tu, si alij de te sinistrè sentiant, & loquantur, & rectè dicta, vel facta in malam partem interpretentur. Audi, quid S. Paulus de hominum judicijs dicat. 1. Cor. 4. v. 3. *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die.* Et ad Galat. 1. v. 10. *An quero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi Servus non essem.*

MEDITATIO CCLXV.

De Pœnitentia Magdalena.

Luc. 7. v. 37.

PUNCTUM I. *Rogabat autem illum quidam Phariseus, ut manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisei discubuit. Et ecce mulier, quæ erat in civitate peccatrix (Aliqui existimant, hoc adhuc in civitate Naim, ubi Christus filium Viduæ resuscitavit, gestum esse: Aliqui verò censent, in civitate Magdalo id contigisse, ubi Magdalena ante suam Conversionem habitavit)*

ut audivit, quòd accubisset in domo Pharisæi, attulit
 bastrum unguenti. Considera, unguentum istud fu
 odoriferum, ex varijs aromatibus confectum, eo
 designari odorem boni Exempli, quod pænitens
 gdalena in domo aliena, & inde in tota Civitate
 diffudit; sicut antè fuit publica in civitate peccati
 & scandalum publicum. Imitare Magdalenam,
 que odorem boni Exempli, & bonæ famæ relinque
 quamcunque domum intraveris; quemadmodum
 lijs etiam sæpe scandalo fuisti: nec minùs domestico
 odorem Virtutis affles, quia peccator non tantum
 in civitate, peccandi occasionibus obnoxia, sed
 ipsa domo Religiosa, & Perfectionis domicilio fuisti
 ut sic omnes currant in odorem Ungentorum tu
 rum; & tu dicere possis cum Divina Sapiencia: *Seci*
cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quæ
myrrha electa dedi suavitatem odoris: & quasi storax,
galbanus, & ungula, & gutta, & quasi Libanus non
cisus vaporavi habitationem meam. Eccl. 24. v. 20. Et cu
S. Paulo 2. Cor. 2. v. 15. Christi bonus Odor sumus DE

PUNCT. II. *Et stans retro, secus Pedes ejus* & im
 mitare Magdalenam, & semper cura retro stare,
 est, postponi, & ad pedes stare, sive, infimum
 cum tenere; unde in communitate Religiosa, quæ
 civile Corpus Christi, inter infima membra, sive
 pedes te colloca, omnes tibi præferendo, & potior
 partes alijs deferendo.

PUNCT. III. *Lacrymis capit rigare Pedes ejus,*
capillis capitis sui tergebat, & osculabatur Pedes ejus,
unguento ungebat. v. 38. Quatuor recensentur officia
 omnia tamen Christi Pedibus præstita. Libente
 itaque velis occupari humilibus officijs. Iisdem ver
 rur.

bis sublimes Magdalena Virtutes indicantur: nempe lacrymabilis dolor de peccatis, quem ingenti Spe venia abstergebat, cum sciret Divinam Bonitatem etiam capillos capitis sui numeratos habere. Spe ista impellebatur ad oscula Charitatis figenda: à Charitate incitabatur, ut ungue. to, variarum Virtutum aromatibus condito, peccatorum suorum factorem dissiparet. Sed has omnes Virtutes ad Christi Pedes referebat, id est, Humilitate condiebat. Imitare ergo Virtutes Magdalena; sed comitetur eas Humilitas. Nam ut inquit S. Gregor. hom. 7. *Si qualibet bona Opera adsint, nulla sunt, nisi ex Humilitate condiantur. Qui enim sine Humilitate Virtutes congregat, quasi in vento pulverem portat.*

MEDITATIO CCLXVI.

Continuatio eiusdem Historiae.

Luc. 7.

PUNCTUM I. *Videns autem Phariseus, qui vocaverat eum, ait intra se dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* Luc. 7. v. 39. Duo non imitanda vitia in hoc Phariseo his verbis nobis ostenduntur. Unum est, ut quamvis certas rationes nobis videamur habere, malum de altero iudicandi, iisdem tamen assensum non præstemus, quia etiam hæ fallere possunt, & hic fefellerunt, cum Magdalena jam non amplius esset peccatrix, sed serio conversa ac pœnitens, quamvis in civitate paulò antè notoria peccatrix fuerit. Alterum est, ut de nullius emendatione desperemus, quan-